



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehac nunquam
in lucem prodire

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

De S. Euplio martyre Siculo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

Cap. 10.

Obtinuit cathedram suam beatus Episcopus ad annos plùs minùs trigintanouerth, virtutibus insignis, miraculis celebris, fide integer, operibus bonis perpetuò intentus. Et licet animum instar arcùs semper haberet intentum, at tamen corporis viribus deficientibus, iam ætate prouectus, plenus dierum in senectute bona, in pace sanctæ Ecclesiæ Dei tercio Idus Augusti obdormiuit in Domino. Sepultus est autem in basilica, quæ est in montis vertice, ab ipso in honorè S. Medardi constructa: qui locus haud procul abest Cameraco, olim demonum cultui ab idololâtris in animarum exitium dedicatus. Sed vir Dei Gaugericus idola exterminauit, lucû succidit, & locum spurcitijs addictum, in orationis & sacrificij ædem mutauit. Et iam locus ille & beati viri memoria est venerabilis, & nundinis celeberrimus: præstanturq; illic vsq; ad præsens beneficia diuina in laudem Domini nostri Iesu Christi: Cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Obdormit
vir sanctus
in Domino

MARTYRIUM SANCTI EURLII, AVTHORE
SIMEONE METAPHRASTE. LATINI MARTYRO.
logi eum Diaconum fuisse testantur.

22. Augusti
secundum
Latina Mar
tyrologia.

Pentagurus
ab Impera
torib; in
Siciliã mit
tur ad de
fendos Chri
stianos.



DIOCLETIANO & Maximiano imperantibus, idolorum superstitio ita per omnes regiones & insulas celebrabatur, ut idola omnia erigerentur, & Christiani vniuersi gladio interficerentur. Miserunt igitur Imperatores ipsi hominem quendam Pentagurum nomine, in fines prouinciæ Siciliae, ut quencunq; inuenisset, qui Christum confiteretur, cum pessimis modis interficeret. Itaque venit Pentagurus in urbem Catinam. Caluissianus autem cum in ea Præsidem ageret, iussit turbas ipsas, quæ in urbe erant, obuiam prodire, prout consueuerant his, qui ab Imperatoribus mittebantur. Ingressus igitur Pentagurus in eam urbem, iussit Caluissianum constituere tribunal in loco illo, qui dicitur Achillis, & præcones mittere per plateas & vicos urbis, qui iuberent omnes ad eius nefarium tribunal conuenire.

Itaq; cum Pentagurus in illa nefaria sede vnâ cum Caluissiano præsideret, vniuersus populus stetit ante tribunal. Tunc Pentagurus dixit Caluissiano: Num omnes isti deorum nostrorum religionem obseruant? Maximè, inquit Caluissianus, omnes isti, quos vides, religiosissime Præses, deorum nostrorum religionem obseruant. His auditis, valdè gauisus est, & iussit turbas dimitti. Tunc Pentagurus Imperatorum edicta Caluissiano illi ostendit, eumque urbis Præsidentem confirmauit, & edicta ipsa ei tradidit, ut Christianos homines inquireret. Tunc ipse in alias vrbes iter suum dirigebat, quas omnes peragrans, studium omne ad Christianos inquirendos adhibebat. Cum hæc ille ageret, interea Caluissianus à patre suo diabolo elatus, & impijs edictis Imperatorum confusus, magnoperè intumescibat, ingentes spiritus & superbiam præ se ferens. Vocatis igitur ministris: Agite, inquit, vos exite ad urbis plateas & finitimas regiones, ac si quem inueniretis, qui Christum confiteatur, vincitum ad me ducite. Sic enim hoc feceritis, vobis annona & victus publicè suppeditabitur. Ad hæc honores multos à me percipietis.

Caluissianus
vrbis Catinae
præficitur.

Euplius p.
ditur.

Adducitur
vincitum ad
Caluissianum.

Cum hæc ille diceret, vnus ex eorum numero, qui illic stabant: Est, inquit, in hac urbe homo quidam, Euplius nomine, librum secum habens, quo populos & multitudinem ipsam circumuenit, affirmans magnum esse Deum Christianorum. His auditis, valdè perturbatus est Caluissianus, & ait: Adducite vincitum ad me hominem istum, adducite. Statim satellites per urbis plateas Euplium perquirentes, inuenerunt eum in cellula quadam morantem, & Dei Euangelium docentem. Quem subito comprehensum, manibus post terga colligatis, ad Caluissiani Præsidis tribunal adduxerunt. Tunc impius & nefarius Caluissianus, cum ambas eius manus & pedem alterum ad ipsius genu colligari fecisset: Tunc, inquit, es deorum nostrorum defensor, & Imperatorum contemptor, qui neque ipsorum edictis obtemperas, neq; præpotentes deos adoras? Respondit Euplius: Quinam sunt isti vestri dii, ut eos adorem? Iupiter, inquit Caluissianus, Aesculapius & Diana. Ad hæc Euplius ait: Cæcus es tu, Dominum Iesum Christi.

Christum non cognoscens, qui cælum & terram effecit, & hominem è terra formavit, quiq; nos Christianos induit veste immortalitatis, precioso videlicet, insigni, sanctissimo, terribili & illustri suo baptisate. Tunc ait Caluisianus. Propterea tam superbè loqueris, quòd nondùm tormenta expertus es. Ad hæc sanctus Euplius respondit: Tormenta ista tua mihi quidem coronæ, tibi verò sunt tenebræ.

His verbis valdè perturbatus Caluisianus, & à patre suo diabolo concitatus, iussit lignum in terra desigi, & in eo virum illum sanctum suspendi, ferreisq; pectinibus dilaniari. Quo factò, ille erectis in cælum oculis, sic Deum oravit: Domine Iesu Christe, induc me veste immortalitatis: fac, quaeso, nè istorum tormentis superari valeam. Tunc vox audita est è cælo, quæ dixit: Esto, Eupli, bono & forti animo: vera enim vestis tibi parata est. Hæc ait vox illa. At impius Caluisianus: Etiamne, inquit, ab istis tuis nugis adhuc non destitisti? Quin potius in templa ingredi, & dijs sacrificia, vt peccatorum veniam consequaris, & ab iniuctis Imperatoribus bona multa percipias. Insuper amicitiam nostram habebis, atque argenti & auri copiam multam. Ad hæc Euplius respondit: Ex hoc ipso, perditissime homo, minister diaboli & eius confors, intelligere potes, omnes istos auro adduci, vt idola venerentur: cuius rei indicium ac ratio in illo terribili die à teipso exigetur. Caluisianus his verbis accensus, iussit ferreis malleis eius maxillas & crura verberari. At ille cum verberaretur: Insane, inquit, insipiens & mentis lumine obcæcare, cur mihi tormenta ista tua inferri iubes, quæ, Dei mei auxilio munitus, tanquam araneorum telas contemno? Si potes igitur, alia tormenta his grauiora excogites: hæc enim tanquam ludibria quædam corpori meo sunt.

His auditis, impius Caluisianus iussit beatum Euplium deuinciri, & sanctum Euplium in eius collo alligari, & tanquam in pompa aliqua sic duci, & in carcerem conijci. In quem cum beatus Euplius ingressus fuisset, præcepit iniquus Caluisianus, carceris fores eius annulo signari, & milites constitui, qui carcerem ipsum diligenter custodirent, ne quis ad eum introire permitteretur, nèue panem aut aquam illi daret. At beatus Euplius cum in carcere dies septem & totidem noctes transegisset, ac siti laboraret, erectis in cælum manibus, sic Deum oravit: Domine Iesu Christe, qui es verus Deus noster, qui das escam omni carni, qui per Mosem seruum tuum aquis filios Israël sasiasti, qui ex maxilla quadam olim aquam eduxisti, & Samsonem refrigerasti, qui nos lætos atque hilares effecisti precioso & incorrupto baptisate tuo nos induens: tu, inquam, Domine fac, quaeso, vt aque fons scaturiat, & sitis mea leuetur, vt cognoscant omnes, nosse esse Deum alium præter te. Complevit preces Euplius, & repente aquarum copia in carcere scaturiuit. Itaque martyr ipse Deo gratias agens, bibit, & sanctam, eiusdemque substantiæ consortem, & vitæ omnium effetrice, Trinitatem collaudauit, immensam Dei charitatem psalmis & hymnis concelebrans.

Cum verò dies septem præterissent, iussit Caluisianus duci beatum Euplium ad secretam eius domum. Caluisiani autem satellites, cum patescente carcere, illam aquarum copiam repente affluentem vidissent, perterrefacti sunt. Euplius verò, manu extensa, quasi aquam ipsam increpauit, & statim illa euauit. Viderunt satellites, quod factum fuerat in carcere, & inter se dicebant: Certè magnus est Deus ille, quem colit homo iste. Beatum verò Euplium eductum è carcere, ad secretam Caluisiani Tyranni domum adduxerunt. Qui oculos in beatum Euplium conuertens: Saltem nunc, inquit, dijs sacrificia, priusquam gladio caput tuum abscindatur. Tunc illi Euplius, Peruerse & excæcate minister atque collega diaboli, quisnam est, qui velit lucem relinquere, & in tenebris ambulare? Turbatus est his verbis Caluisianus, & iussit Euplium ligari, eiusque aures ferreis vncis auelli, & ad tribunal duci. Cum igitur illuc ageretur, vniuersus populus, tam eorum, qui Christi fidem sequebantur, quam qui erant infideles, ad eius rei mirabile spectaculum conuenit. Tunc nefarius ille Præses Caluisianus iussit sedem suam locari prope carcerem ante lauacrum, quod erat vicinum carceri, ad meridiem vergens. Illic igitur sedens, iussit beatum Euplium gladio percuti. At ille rogabat Præsidentem, vt tantum temporis sibi concederet, quo ad Deum orare posset. Aperto igitur sancto illo Dei Euangelio, cepit Domini nostri Iesu Christi miracula recitare. Ex qua re factum est, vt multi ex ea turba, veritatis lumine sint illustrati. Cumq; beatissimus martyr Deum precaretur, audiuit vocem è cælo demissam, ac di-

Ferreis pectinibus læceratur.

Malleis ferreis cæditur. Mira fortitudo eius.

Conijcitur in carcerem.

Psal. 135. Exod. 17. Iudic. 15.

Aquæ diuinitus impletur.

Ad eius numerum rursus aqua euauit.

Magna eius dicendi libertas.

Multos conuertit ad fidem.

ac di.

Gladio in-
terficitur.

ac dicentem: Esto bono animo, Eupli: beatus es tu: agè, veni, & cum ijs requiesce, qui ex omnibus seculis mihi grati extiterunt. Deinceps ex Caluisiani sententia Euplius gladio percussus, martyrium compleuit.

Quidam verò homines religiosi, & Christi amatores, preciosas illius reliquias col- lectas, in loco quodam insigni reposuerunt, vbi morborum curationes, ad hodiernū vsque diem efficiuntur. Eius autem martyrium & sancta confessio completa est vn- decimo die mensis Augusti, Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, impijs & ne- farijs hominibus: in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui sit glo- ria in secula seculorum, Amen.

*De S. Hilaria & sociabus martyribus, videat Lector superius 5.
Augusti, historiam S. Afræ martyris.*

VITA S. CLARÆ VIRGINIS SANCTITATE ET MIRACVLIS CLARISSIMÆ, IVSSV

Is est Alexā-
der 1111.

*Alexandri Pontificis Maximi conscripta, cum eam in Sanctas
retulisset, anno ab eius obitu secundo.*

Prologus Authoris, cuius nomen necdum comperi.

Vtilitas Or-
dinū mona-
sticorum.



Matth. 5.

Historia
hæc ex ocu-
latorum te-
stium rela-
tione con-
scripta.

Vasi veterata mundi senecta vrgēte, fidei caligabat visus, morū mu- tabat gressus, marcescebat virilium operum fortitudo: quinimò faeces temporum, face commutabatur etiam vitiorum, cum ama- tor hominum Deus, ex sua pietatis arcano sacrorū Ordinum sus- citans nouitatem, prouidit per eos & fidei fulcimentum, & refor- mandis moribus disciplinam. Dixerim certè modernos patres cū viris sequentibus luminaria orbis, viæ ductores, vitæ magistros: in quibus meridianus fulgor mundo ad vesperam confurrexit, vt lu- men viderent, qui in tenebris ambulant. Nec decuit infirmioris sexūs adiutorium si- bi deesse: quem libidinis gurgite interceptum, non minùs ad peccandum trahebat vo- luptas, & magis satis fragilitas impellebat. Suscitauit propterea pius Deus virginē ve- nerabilem Claram, atque in ea clarissimam foeminis lucernam accendit: quam & tu Papa beatissime pater super candelabrum ponens, vt luceat omnibus qui in domo sunt, virtute percogente signorum, Sanctorum Catalogo adscripsisti. Horum Ordinū te patrem colimus, te nutritium scimus, te protectorem amplectimur, te dominū ve- neramus: quem sic permaximæ nauis regimen vniuersale sollicitat, vt parua quoque nauicula curam singularem & sollicitam nō excludat. Sanè placuit Dominationi ve- stræ, meæ paruitati iniungere, vt recensitis actibus S. Claræ, Legendam eius formarè: opus certè, quod mea multum ruditas formidabat, nisi pontificalis autoritas verbū coram posito, iterum atque iterum repetisset. Igitur me colligens ad mandatū, nec tutus per ea procedere, quæ defectiua legeram, ad socios beati Francisci, atq; ad ipsum collegium virginum Christi perrexi, frequenter illud corde reuoluens, non licuisse antiquitus historiam texere, nisi ijs, qui vidissent, aut à videntibus accepissent. Ijs, in- quam, veritate præuia cum timore Domini plenius instruentibus, aliqua colligens, & plura dimittens, plano stylo transcurri: vt quia magnalia virginis, virgines legere de- lectabit, rudis intelligentia non inueniat, vbi pro verborum ambitu tenebre scat. Se- quantur ergò viri viros Verbi incarnati novos discipulos. Imitentur foemina: Cla- ram, Dei matris vestigium, nouam capitaneam mulierum. Vobis autem, fan- tissime pater, sicut in his corrigendi, subtrahendi & addendi plena manet autoritas: ita mea per omnia subiacet, concordat, flagitatque volun- tas. Valere vos faciat Dominus Iesus Christus nunc & in æuum, Amen.

VITAE